



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Cur Ecclesia amicta sole apparuerit? Mulier amicta sole. Sectio V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

Cur Ecclesia amicta sole apparuerit?

Mulier amicta sole.

SECTIO V.

Christum Dominum solem esse, multa Scriptura sacra testimonia demon-
strant: duo verò potissimum. Vnū est illud Mal. 4. Orietur vobis timentibus nomen
meū sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius: & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento. Quē
locū de Christo interpret. D. Hier. & Theod. in Malach. Orig. ho. 2. in Cāt. & Cy-
ril. Alex. li. 1. in Ioan. c. 8. & li. 4. c. 28. vbi docet tēpus ante aduentum Christi fuisse
procellosam quādā hyemē: at post eius aduentū ver iucundissimū extitisse: cum
Christo quasi sole fulgente Sancti quāplurimi velut flores pullularunt. Est autē
potissimū sermo de die iudicij, quo tēpore Christus appellatur sol iustitiæ, qui in
primo aduentu fuerat sol misericordiæ. Cū verò dicatur *Sanitas in pennis eius*, alludi-
tur ad solis radios, quicquid veluti pennæ sunt. Quāquā verò Theod. huius nostri
solis pēnas velit esse dona spūalia, quibus quasi alis nos vndique velaui: tam en-
dici meritò potest solis iustitiæ. j. Christi pennas, quib. sese in sublime extulit, siue
radios, quib. resplenduit, illas ipsas pēnas fuisse, quas hominum amore suscepit.
Quod enim illis tāquā alis sese in altū extulerit, docuit Paulus Philip. 2. *Humiliavit
semetipsum factus obediens usque ad mortē, mortē autē crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum.*
De quibus etiā pennis locutus est Regius vates interpretante Hieron. cū dixit Pl.
9. *capulus suū obstrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.* Quod autē cædē pēna, siue cru-
ciatus radij fuerint, quibus sol iste resplenduit, ostendit locus ille apud Abac. c. 3.
Splendor eius ut lux erit: cornua in manibus eius. Quo loco vides eum cornibus crucis, v-
t omnes ibi interpretantur, splendorem coniungi: nimirum quia cum in crucem
fuit sublatus, quasi in medio cæli eleuatus sol multo magis, quā antea radiavit.
Alterum testimonium, quo Christus appellatur sol, habetur Cant. 1. vbi spon-
sa de Christo loquens ait: *Nolite me considerare, quod fusca sum, quia decolorauit me sol:* seu
vt Septuag. translulerunt: *Quia respexit me sol.* Quāquam Orig. legit: *Quia despectus me*
sol, docens hom. 2. in Cant. hunc esse eius loci sensum. *Ne putis, o Jherusalem,*
quod naturalis sit ista nigredo, quam in meo vultu cernitis: sed scitote, quoniam despectus solis est
facta. Sol enim iustitia, quia me non inuenit rectē stantem, non direxit in me rectos lucus sua ra-
dijs: Ego enim sum populus Gentium, qui prius non respexit ad solem iustitiæ, nec stetit ante Domi-
num: & ideo nec ille me respexit, sed despectus. Hæc Orig. D. Bernard. sermone 28. in Cāt.
quatuor alias affert eius loci expositiones, quarum duæ postremæ ad præfens in-
stitutum faciunt. Prima est huiusmodi. *Nolite me notare quasi deformem, quia cernitis*
pro ingruente persecutione minus florentem, minus secundum gloriam seculi coloratam. Quid
expibratis nigredinem, quam serior persecutionis, non conuersationis pudor inuexit? Secun-
da. Decolorari à sole, inquit Bernard. est ignoscere charitate fraternæ: flere cum stentibus, in-
firmaricum infirmantibus: vri ad scandala singulorum. Tertia. Sol iustitiæ decolorauit me,
Christus, cuius amore languor iste coloris quædam exterminatio est. Ergo instar vrentis
solis desiderij ardor peregrinans in corpore decolorat, & excruciat amantem dilatio. Quarta,
& postrema, Decolorauit me sol, sui nimirum comparatione splendoris, dum appropians illi ex-
eo me obscuram deprehendit, & nigram inuenit. Caterum alia quidemiformosa sum: quid fus-
cans dicitis solius solis pulchritudini succumbentem?

Est igitur mulier amicta sole. j. Ecclesia Christo circumdata. Sunt autem multa
huius similitudinis rāgones. Prima est Pann. qui vult dici Ecclesiā amictam Chri-
sto quasi spōsam sponso, eo quòd Christus Eccles. tanquā sponsam amplectitur,

Christus sol.
Mal. 4. 2.
D. Hieron.
Theodoret.
Orig.
Cyril. Alex.
Tempus legi
veteris hys:
legi nouer
Theodoret.

Pennis tāquā
alis in aliis
se extulit
Christus.
Philip. 3. 8.
D. Hieron.
Psal. 90. 4.
Abach. 3. 4.
Raduum in
cruce Chri-
stus.
Il.

Cant. 1. 6.
Septuag.
Orig.
Varia lectio.

D. Bernard.

Christi dpa-
ratione et am-
puli hie an-
ma deforme.
111.

Ecclesia am-
icta Christo.
Pann.



Cant. 2. 6.
Orig.

caque à Christo tanquam ab sponso accipit fecunditatem. j. virtutem bene operandi, iuxta illud Cant. 2. *Laua eius sibi capite meo. & dextera illius amplexabitur me.* Quæ locum Orig. ho. 3. in Cant. eo sensu interpretatur, vt læua pro incarnatione: dextera pro diuinitate sumatur: dicaturque læua esse sub capite Ecclesiæ, quia in incarnationis mysterio Ecclesia tanquam in quodam mollissimo cervicali cõquiescit. Dextera autem Ecclesiam amplectitur: quoniam per mysterium incarnationis gloriam æternitatis consequitur. Secundo est Ecclesia amicta Christo tanquam indumento, quemadmodum ipsa confitetur Esaia 91. *Gaudens gaudebo in Domino. & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentum salutis, & tunicam lætitiæ: circumdedit me: sicut, vt 70. transferunt: Induit me vestimentum Iesum, id est, induit mihi Iesum pro vestimento: quod videtur respexisse Paulus, cum dixit Gal. 3. *Quicumque in Christo baptizatus est, Christum induit: & Rom. 13. sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudiciis, non in contentione, & amulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desiderio.* Alluisse enim Apostolum ad eum locum Esaia docet Cyril. Alex. lib. 9. in Gen. vbi querens, quænam sit illa tunica lætitiæ iuxta editionem Septuag. respondet declarari à Paulo illis verbis Rom. 13. *Induimini Dominum Iesum Christum.* Est autem Christum induere, eius virtutes imitari. Sed multa præterea ea indumenti similitudo complectitur, que in ipsa Christi imitatione reperiuntur.*

Esaia. 61. 10.
I. e. Chionum
varietas.
S. p. 10. 10.
Alij.
Galat. 3. 27.
Rom. 13. 13.

Cyrril. Alex.
Christum in-
dui, qui imi-
tatur.

III.

Psal. 64. 14.
D. Hieron.
Verbo induit
di in quos sen-
santatur
Hebræi.
D. Thom.
D. Chryso.

Primùm enim verbo *induitur* vtuntur Hebræi ad signific. copiam, & affluentiam, veluti Psal. 64. *Induitur arietes ouium: quod D. Hier. vult, Vestitur grex agnus. j. Oves erunt factose, & id quod sequitur: *Valles ab ubi labit frumento, ad verum est: Valles vestitur frumento.* Igitur Christum induere est illi perfecte, & copiose imitari, & omnibus modis, quoad eius fieri poterit, referre. Secundo, vt interpret. D. Th. dicitur Christum induere ille, qui eum imitatur: quia sicut homo eorum vestimento, & sub eius colore videtur: ita in eo, qui Christum imitatur, solus Christus, eiusque indumentum color. j. sanctitas apparet, que eadẽ expositio est D. Chry. ho. 25. in ep. ad Rom. in obseruatione morali: *Induere, inquit, Christum est vndique in nobis per sanctimoniam, & mansuetudinẽ Christum conspicuum esse: homo enim induitur id esse videtur, quod induitur est: apparet itaque in nobis Christus.* Tertio. Quia sicut vestes totum corpus cõregunt, ita Christi imitatio debet ad omnem omnino actionem pertinere. Quarto. Cum iubemur Christum induere, monemur quoque veterẽ hominem exuere: cum enim Christi vestis stricta sit, non potest supra mundanas vestes, que laxæ admodum sunt, ac diffluentes, indui. Vnde Paulus Rom. 13. antequam diceret: *Induimini Dominum Iesum Christum,* præmonuit mundanas vestes exuendas illis verbis: *Non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudiciis, non in contentione, & amulatione: & Colossenses 3. Expoliantes vos veterem hominem cum artibus suis, & aduentus nouum eum, qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit illum.* Quinto. Qui indutus est vestibus non sentit ferẽ vestiam pondus illud, ac molestiam, quam expetitur is, qui vestes inuolutas quasi sarcinam portat humeris: sic enim qui Christum imitatur, non sentit virtutum difficultatem, quia se eius virtutibus induit: sentit autem earum pondus, qui non se illis per imitationem induit, sed qui eas tantum per speculationem, & cognitionem quasi humeris inuolutas portat. Postremo. Quemadmodum indumentum si pretiosum sit, pulchritudinem, & ornatum addit corpori, ita pulchrum est: & gloriosum Christum imitari.*

Christum in
omni actione
imitari de-
bemus.
Rom. 13. 14.
Renouandus
veteris ut no-
uus induatur
homo.
Coloss. 3. 9.
Christi imi-
tator virtutum
difficultatem
non sentit.
Christum
in istis pul-
chrum.

V.

Ecclesia mu-
nitur à Chri-
sto.

Tertio. Est Ecclesia amicta Christo propter singularem participationem, qua vndeque ab eo munitur: quam expositionem confirmat verbum ipsum Graecum

ἡ ἐκείνη ἡμερὴ τὸν ἥλιον, id est, circumamicta sole. Est enim Christus circum Ecclesiam vnde quaque eam ambiens, & protegens: de qua protectione loquitur Regius vates, Pl. 124. *Qui confidunt in Domino sicut mons sion: non commovebitur in aeternum, qui habitas in Hierusalem. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui.* Idcirco etiam Esai. 26. dicitur Christus Ecclesiam tanquam murus vndique ambire. *In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda. Urbs fortitudinis nostra Sion saluator ponetur in ea murus & antemurale.* Quo loco adverte, vt huius protectionis magnitudo explicetur, Christum non solum Ecclesiae murum, sed etiam antemurale appellari propter geminam secundum vitamque naturam protectionem, qua Ecclesiam vndique tucor. Idem eleganter habes expressum Zach. c. 2. *Abiq; muro habitabitur Hierusalem pro multitudinem hominum. Et ego ero es, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria erit in medio eius.* Ne quis enim existimaret ex eo, quod dictum erat Hierusalem sine muro futuram, expositam fore hostibus: idcirco additum est: *Ego ero es murus ignis in circuitu.* Nec verò de murum lapideum, aut aeneum futurum pollicetur, sed igneum, qui à longe hostes terreat, seu, vt exponit Theod. qui transiri non possit: quis enim murum igneam suadeat transire: Quò pertinet illud Pl. 124. *Domini in circuitu populi sui:* appellatur enim Deus ignis consumens Deut. 4. Quàquam verò murus igneus summam quandam protectionem Ecclesiae significet: meritò tamen plerique per murum igneum, muram amoris intelligunt, quo Ecclesia vndique cingitur: qui murus vsque ad eam est inexpugnabilis, vt propter amorem in Christum nullis huc Tyrannorum, siue Hereticorum machinis Ecclesiae ciuitas expugnari possit, tam iniuncto amoris in Christum cincta muro. Quò respexit Ioannes Baptista, cum dixit, *Ego quidem baptizo vos in aqua: sed ipse vos baptizabit spiritu sancto, & igni,* id est, ardentissimo erga Deum amore. Atque intra hunc murum se continebat, indeque pugnabat Paulus, cum dicebat: *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia? Gressu non est ergo: videtur verò Paulus veluti subito raptus affectum in hanc exclamationem prorupisse ob tanta fiducia, quae praecesserunt, argumenta: Christus Iesus, inquit Paulus, qui mortuus est, amo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis nos separabit à charitate Christi? locum hunc Augustinus libr. quarto de doctrina Christiana cap. 20. affert veluti exemplar rationis, quae deus in hoc est, vehementiam cum ornatu coniungit.*

Porro hunc eundem murum igneum Spiritum ipsum sanctum, qui amor est substantialis, possumus accipere, cuius est Ecclesiam tueri, eamque ob causam in die Pentecostes in figura ignis super Apostolos descendit. Cum verò subiugitur: *In gloria ero in medio eius,* pro gloria est Hebraicè *Chabad*, quod nomen fulam habet apud Hebraeos significationem, & inter alia significat iecur, ex quo nimirum concoctum alimentum in reliquis partes diffunditur, & purificatus sanguis reliquis membris alendis transmittitur: quam iecoris similitudinem, vt egregie annotavit Arias Mont. in comm. in Zachar. summo mysterio ad se transferens Deus significavit se Ecclesiae suae, quae corpus ipsius est mysticum, necessarium alimentum, vt tam virtutemq; communicaturum: imò, vt aliquid etiam de nostro addamus, futurum tepus, quo totum sanguinem per passionem in omnia Ecclesiae membra ad alimentum transfunderet, & in sacramento Eucharistiae manducandum corpus, & bibendum sanguinem fidelibus tribueret, iuxta illud, quod de filio aquilae dicitur Iob 39. *Pulli eius labent sanguinem.* Quem locum quaquam D. Greg. lib. 31. Mor. cap. 21. de passione Christi interpretatur: *Sanguinem, inquit, lambere est passiois Dominicae infirma venerari, tamen ad sacramentum etiam Eucharistiae referri posse minime dubium esse debet, in cuius participatione merito fideles pulli aquilarum vocan-*

Psal. 124. 1.
Esai. 26. 1.
Christus Ecclesiae murus, & antemurale.
Zach. 2. 4.

Theodor. Psal. 124. 2.

Ecclesia amoris muro cincta.

Math. 2. 11.
Rom. 8. 35.

D. August.

VI.
Spiritus sanctus vneat Ecclesiam murus.

Arias Mont. Deus Ecclesiae iecur.

Iob 39. 35.
D. Gregor.

Fideles in Eucharistia participatio ne pulli aquilarum.

VII.
Cant. 4. 4.
Prædicatorum
constantia
turris Ecclē-
sæ.

Divina præ-
tectio circa
Ecclēsiā in-
stat turris
David.
Esaï. 54.
D. Gregor.

Fideles tem-
poris Anti-
christi
Christus cum
aquilas ap-
pellat.
Matth. 24. 28
D. Chryf.

tur, quia huiusmodi sacramētū maximè perspicacē, & aquilinā fidei acie desiderat. Nō minùs elegāter eadē Ecclēsiā significata protectio est Cāt. 4. illis verbis. *Sicut turris David colū tuū, quæ adificata est in propugnaculis: mille clypei pendunt ex ea, omni armatura fortis.* Quod exponens Beda, *Sicut civitas, inquit, David Ecclēsia est Christi: turris in eadē civitate inexpugnabilis est prædicatorum constantia, qui ad defendendā fidem adificati, ad repellendā hostium tela firmiori præ ceteris fidelibus sunt altitudine constructi. Propugnacula autē, cum quibus hæc turris adificata est, vel scripturā sanctorū, vel Divinorum munimina charismatū intelliguntur.* Aduerte etiā Diuinam protectionē rectè comparari turri David: sicut enim turris David supereminebat Hierosolymis, ita Diuina protectio toti Ecclēsiæ instar turris altissimæ supereminet. Accedit, quòd Ecclēsiā quāsi ex turri in omnem partē tuetur, indèque multò ante insidias hostiū prospicit: cuius etiā turris mentionē facit Esaï. 54. *Plantauit Deus vineam electam, & adificauit turrim in medio eius.* Quartò, & postremò. Est Ecclēsia amicta Christo tanquā sole, vt ait Ioan. 1. quia fidei, & veritatis eius radii vndique cingitur, vt exponit D. Greg. li. 34. Mor. c. 7. Secundò, quia nullus ad Ecclēsiā potest accedere, quin prius in solē iustitiæ incurrat, ab eoque illustretur, quippe cum mulier in se ipsam solē sit. Tertio, quia, vt in hanc mulierem exterritis illis temporibus, de quibus hoc loco agitur, intēdi possit acies oculorū, opus erit oculo perspicacissimo, vt solem ipsum Christum, qui Ecclēsiā circumdat, intueri possit. Etenim propter fallacia Antichristi prodigi a facili decipi poterunt, qui non habuerint perspicaces fidei oculos, vt in ipsummet Christum iustitiæ solem possint acie intendere. Quam ob causam Christus Matth. 24. loquens de eius temporis fidelibus, qui in fide permansuri sunt, eos appellauit aquilas: *ubi enim que, inquit, fuerit corpus, illic congregabuntur & aquila.* In quē locum D. Chryf. docet idēō Sanctos aquilas comparari, quia sicut filij aquilarum ad solem probantur, vt si quidem recto aspectu in solis radios intendere poterint, intelligantur esse legitimi: si autem non poterint, cognoscantur adulterini: sic & filij Dei ad Christi iustitiā comprobantur.

Cur luna sub Ecclēsiæ pedibus visa sit?

Et luna sub pedibus eius.

SECTIO VI.

I.
Luna incon-
stantia sym-
bolum.
Esaï. 27. 12.

Firmitas Ec-
clēsiæ.
Cant. 2. 1.

Mat. 16. 18.

Cant. 7. 4.

Ecclēsia ro-
bur inuisi-
bilis.

SVpponendū est lunā esse in cōstantiæ symbolū, tū propter menstruas lucis ac-
cessiones, tū quia sapissimè interposita, & interiecta terræ deficit. Vnde Eccl.
27. dicitur. *Homo sanctus (non sensatus, vt pleriq; legūt) in sapientia manet sicut sol: nā stultus sicut luna mutatur:* hinc fit, vt luna pro omnibus mūdānis rebus accipiat, quippe quæ fortunæ, in cōstantiā, & varietati subiectæ sunt. Igitur duplex ratio afferri potest, cur Ecclēsia lunam sub pedibus habeat. Prior desumitur ab immobilitate, & cōstantiā: quoniam enim Ecclēsia firmissima est, & vsq; ad eō immobilis, vt nulla vi conuelli possit, merito lunā, hoc est, in cōstantiā omnē pedibus calcare describitur. Quo pertinet illud Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filios,* id est, quantūcūque tribulationū, & persecutionū spinæ ambiant, & pūgant: ego tamen instar lilij sēper pulchritudinē, odorēque suauissimū retineo, imò ex ipsiū spinis multo pulchrior, & elegātor erūpo. Hanc Ecclēsiā immobilitatē explicauit Christus, cū dixit Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclēsiā meam, & porta inferi non præualebunt aduersus eam:* & sponsus de Ecclēsia Cant. 7. *Collum tuum sicut turris eburnæ.* Est enim ebur fortissimū, & ipsi elephātorū dētes validissimi, in quo significatur inuisibilem Ecclēsiæ robur. Et quāquāsi omnes siue tyrāni, siue hæretici conentur huiusmodi collum præcidere, & Ecclēsiā interire, semper tamē irritos fore eorum conatus, quippe cum Ecclēsiæ collum sit eburneum, quod gladio